

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Domus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

332 *Pars secunda de elevatione*
in omni fere cum Heterodoxis conversatione
aut disputatione usuvenit. Sicut jam opto ex
animo, ut misericordia Hæreticis ratione tam tre-
mendi mysterii per Dei gratiam oculos aperias
zelose Catholice vel Sacerdos operarie in vinea
Domini. Ita & opto, ut frigidos accendas Ca-
tholicos, qui credenda credunt, & tamen vel
rarò frequentant templa, vel non debitam
Christo Eucharistico in iis exhibent reverentiam.
Cum tamen in hoc se maximè Romano-Catho-
licos esse palam ostendere semper deberent.
Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaïda &c. In-
terim nos videamus, quænam ulterius objecta
aut fabrefacta Architectorum ac Murariorum
præter ædificia communia mentem in Deum
elevare, & salubria nobis inspirare possint do-
cumenta.

Domus.

*S*uperbo oculo & insatiabili corde cum hoc non
sedebam. Oculi mei ad fideles terræ ut sedent
mecum. Ambulans in via immaculata hic mihi
ministrabit. Non habitabit in medio dominus mei,
qui facit superbiam, qui loquitur iniqua. In mathe-
tino (sive mane examinans qui probi, qui sce-
lesti) Interficiet omnes peccatores terra, ut
disperderem de civitate Domini omnes operantes
iniquitatem. Ps. 100. Bona lectio tum pro Pa-
tribus-familias, tum pro Principibus. Egestas
a Domino in domo impii. Habitacula autem que-
storum benedicuntur. Prov. 3. Inclinata est ad
meritum

mortem domus ejus [Meretricis] & ad inferos
semitæ ipsius. Prov. 2. In meretriciâ domo acce-
leratur mors corporis , causatut mors animæ &
æterna damnatio. *Via inferi domus ejus pene-*
trantes in interiora mortis. Prov. 7. de scelere
in scelus cadendo. *Domus Impiorum* [familia]
delebitur. Prov. 14. *Melius est ire ad domum*
luctus quam ad domum convivii. Eccl. 7. Quia
in prima salubriores de vanitate mundi , memo-
riâ mortis &c. ingeruntur cogitationes. *Noli*
esse sicut Leo in domo tua. Eccl. 4. Non tumultuariè cum præcipite impetu imprecationibus
&c. familia regenda est. *Ædificavit dominus*
super arenam. Matth. 25. Omnis, qui sine con-
silio , fundamento , timore Domini negotium
aliquid suscepit. *Benedictio Patris firmat domos*
filiorum , maledictio autem matris eradicat fun-
damenta. Eccl. 3. Sic prolium felicitas aut in-
felicitas pendet ab observatione vel violatione
q̄ri præcepti. *Omnis, qui reliquerit domum vel*
fratres &c. propter nomen meum , centuplum ac-
cipiet , & vitam æternam possidebit. Matth. 19.
Et etiam pro una domo relicta plures quām cen-
tum recipiet religiosus in ordine suo ; quæ ad
ipsum æquè ac alios confratres suos pertinent,
& in quibus vixit , vestitum & amictum (qui-
bus in misera hac vita juxta Apostolum conten-
tos nos esse oportet) habere potest. *Hodie sa-*
lus domui huic facta est. Luc. 19. In receptione
gratiae sanctificantis , Eucharistie &c. Scimus ,
quod terrestris domus nostra hujus habitationis
dissolvatur : quod adificationem ex Deo habemus ,
domum

334 Pars secunda de elevatione
domum non manufactam, eternam in celis. Nam
et in hoc ingemiscimus; habitationem nostram,
qua de celo est, superindui cupientes. 2. Cor. 5.
Quis non peregre constitutus properaret in patriam
regredi? quis non ad suos navigare festinans ven-
tum prosperum cupidius optaret, ut velociter cha-
ros liceret amplecti. Quid non properamus et cur-
rimus? ut patriam nostram videre, ut Parentes
salutare possimus. Magnus illic nos carorum nu-
merus expectat, parentum, fratrum, filiorum fre-
quens nos et copiosa turba desiderat jam de sua im-
mortalitate secura, et adhuc de nostra salute sol-
licita. Ad horum conspectum, et complexum
venire quanta et illis et nobis in commune latitia
est. Qualis illic celestium regnorum voluptas sine
timore moriendi, et cum eternitate vivendi, quam
summa perpetua felicitas! S. Cyprian. lib. de
mortalitate. Filii hominum inebrabuntur ab
ubertate domini tue. Ps. 35. Ibit homo in domum
eternitatis sua. Eccl. 12. quam sibi in hac vita
parat.

Varia constitutiva domus et in ea contenta

Janua, Porta.

Ego sum ostium, per me si quis introierit, sal-
vabitur. Joan. 10. Per fidem scilicet vera
Dei caritate animataim. Contendite intrare per
angustam portam, quia multi, dico vobis, que-
rent intrare, et non poterunt. Luc. 13. Hoc ru-
minent Haeretici sola fide & fiduciâ in meritis
Christi